

D E

ANIMI IMMORTALITATE.

P O E M A.

Πᾶς ὁδηγὸς βιΘού αἰθρῶπων,
Κεκ τῆσ πόνων ἀνάπαυσις.
Ἄλλ' ὅ, τι τῇ ζῆν φίλτερον ἄλλο,
Σκότῳ αἱμπίχον κεύπλεις νεφέλαις.
Δυσέρωτες δὴ Φαινόμεθ' ὅντες
Τεδ', ὅτι τέτο σιλβεῖ κῆ γλώ,
Δι' ἀπειροτάπαν ἄλλου βιότα,
Κεκ δυπέδεξιν τῶν υπὸ γαίας.
Μύθοις δ' ἄλλως φερέμεθα. Euripides.



L O N D I N I:

Impensis J. & R. TONSON & S. DRAPER.

M D C C L I V.

Price 1s. 6d.



REVERENDISSIMO PRÆSULI

T H O M Æ

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSIS,

T O T I U S A N G L I A E
P R I M A T I.

Hoc qualemunque de Re gravissima Poema

Dat dicat dedicat

ISAACUS HAWKINS BROWNE.

11 Aug 1881

D E
ANIMI IMMORTALITATE.
P O E M A.

Πᾶς ὁδηγεῖς βιΘού αἰθράπων,
Κεκ ἔσι πόνων αἰνάπαυτις·
Ἄλλος δέ, τι τέ ζῆν φίλτερον ἄλλο,
Σκότῳ ἀμπίχον κρύπτει νεφέλαις.
Δυσέρωτες δὲ φαινομεῖν ὅντες
Τεῦδ', ὅτι τέτο σιλβεῖ καὶ γλῶ,
Δι' ἀπειροτάναγ ἄλλου βιότε,
Κεκ λόποιξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
Μύθοις δέ ἄλλως φερεγμεῖτα.

Euripides.



L O N D I N I :

Impensis J. & R. TONSON & S. DRAPER.

M D C C L I V .

Price 1s. 6d.

REVERENDISSIMO PRÆSULI

T H O M Æ

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSIS,

TOTIUS ANGLIAE
PRIMATI.

Hoc qualemque de Re gravissima Poema

Dat dicat dedicat

ISAACUS HAWKINS BROWNE.



D E

ANIMI IMMORTALITATE.

LIBER PRIMUS.



ÆTERA per Terras animalia forte fruuntur
Quam sua cuique dedit Natura; nec amplius
optant.

Solus homo, qui scire sagax, cui summa cupido
Scrutari causas et mutua foedera rerum,
Vanum iter ingreditur; nigris namque imminet alis,
Et cursu in medio Mors intercludit euntem.
Quorsum isthoc; si nil sapientia dia creârit
Incassum? Quorsum hæc divinæ semina mentis,
In proprios si non poterint adolescere fructus?

B

Ecquid

Ecquid enim prodest rerum cognoscere causas ;
 Jungere venturis præsentia ; mente vagari
 Solem atque astra super, morituro ? Scilicet omnes
 Una manet Lethi lex et commune sepulcrum.
 Nonne ergo satius cum Phyllide ludere in umbra ;
 Teque, Lyæ pater, lætis celebrare choreis ?
 Novit enim Bacchus curas depellere, novit
 Præteriti sensus abolere metumque Futuri.

Quare age, vina liques : epulæ, convivia, lusus,
 Psallere docta Cloe, citharæque perita Neæra,
 Non absint ; volucris rape lætus dona diei ;
 Quærere nec cures quid craftina parturit hora.

Atqui pertæsum est harum citò deliciarum ;
 Scilicet, hæc fatiat vix dum libata voluptas.
 Ergo dimissis quæramus seria nugis.
 Accumulentur opes ; dicit quò Gloria, quòve
 Ambitio, stipatus eas examine dènsa
 Manè salutantum. Quid multa ? Huc denique eòdem
 Volueris, ut clames heu ! quantum in Rebus inane !
 Quænam igitur tentanda via est ? Ubi littus amicum ?
 Nempe

Nempe vides ut semper avet, dum corpore clausa est,
 Mens alia ex aliis scire, ac sine fine gradatim
 Æternum (sic fert Natura) attingere Verum.

Gaudia quinetiam non hæc fugientia poscit,
 At magis apta sibi, vicibusque obnoxia nullis;
 Gaudia perpetuum non interitura per ævum.

Quare sume animum; neque enim sapientia dia
 Frustra operam impendit; neque Mens arctabitur istis
 Limitibus quibus hoc peritulum corpus; at insons
 Terrenæ labis viget, æternumque vigebit:
 Atque ubi corporeis emissa, ut carcere, vinclis,
 Libera cognatum repetet, vetus Incola, cœlum,
 Nectareos latices Veri de fonte perenni
 Hauriet, ætheriumque perennis carpet Amomum.

At verò dum vita manet (si vita vocanda est
 Corporis hæc cæco conclusa putamine) torpet
 Vivila vis animi, nec ovantes explicat alas.
 Multa tamen veteris retinet vestigia stirpis.
 Unde etenim tot res reminiscitur? Unde tot apto
 Ordine disponit, mox et depromit in usus?

Quippe haud tam locuples hæc, tamque immensa supellex
 Corporis in cellis poterit stipata teneri;
 Aut vi corporea revocari in luminis oras.

Illa etiam inventrix, varias quæ protulit artes,
 Suppeditans vita decus et tutamen egenæ;
 Nomina quæ imposuit rebus, vocemque ligavit
 Literulis; aut quæ degentes more ferarum,
 Dispersosque homines deduxit in oppida; quæve
 Legibus edomuit, foedusque coegit in unum;
 Quænam isthæc nisi Vis divinior, ætheriusque
 Sensus, et afflatus cœlesti concita virtus?

Jam quorum undanti eloquium fluit amne, rapitque
 Quò velit affectus, tonitruque et fulgura miscet;
 Divitias trahit unde suas? Vigor igneus ille
 Num mortale sonat? Quid censes carmina vatum?
 Sive etenim flexu numerorum vique canora,
 Oblectet varia dulcedine lapsus ad aures;
 Seu, speciosa canens rerum miracula, fictis
 Ludat imaginibus, peragretque per intima Cordis;
 Nil parvum spirat, nil non sublime Poeta.

Cumque

Cumque super Terris quæ fiunt, quæque tuemur
 Omnia, curriculo volventia semper eodem,
 Non explet animum, varia et magis ampla petentem;
 Sanctus adeſt Vates, per quem sublimior ordo,
 Pulcrior et species, et mentis idonea Votis
 Exoritur, vitæ spes auguriumque futuræ.

Quid, qui coeleſtes nōrunt describere motus;
 Sidera, qua circa solem, qua lege Cometæ
 Immensum per Inane cientur, ut æthere vasto.
 Astra alia illustrant alios immota planetas;
 Nonne hanc credideris mentem, quæ nunc quoq; Cœlum
 Astra que pervolitat, delapsam cœlitus, illuc
 Unde abiit remeare, suasque revisere sedes?

Qui tandem hæc fierent nisi quædam in mente subeffet
 Vis sua, materiae mixtura immunis ab omni?
 Conſcia porro ſibi eſt, vult, nonvult, odit, amatque;
 Et timet, et ſperat; gaudet, mœretque ſua vi
 Ipsi; ministerio neque corporis indiget ullo:
 Viribus ipſa ſuis inter ſe comparat, et res
 Sejungit rebus; vaga diſſociataque Veri

Membra

Membra minutatim legit, ac concinnat amicè.
 Elicit hinc rerum causas, atque artibus artes
 Hinc alias aliis super extruit ordine pulcro;
 Et magis atque magis summa ad fastigia tendit
 Unde omnis series causarum appetet, et omnis
 Numinis à folio ad Terram demissa catena.
 Denique et in se se descendit, et aspicit intus
 Rerum ideas, quo quæque modo nascantur; et unde
 Cogitet, ac prope jam sua quæ sit fabrica novit.
 Tantane corporea est Virtus? An machina vires
 Percipit ulla suas, aut quid sibi præbeat escam?
 Omne etenim corpus nihil est nisi machina, motu
 Impulsa externo, non interiore suoque.

Vulgi igitur studiis noli altæ mentis acumen
 Metiri; ast illos, etiam nunc laude recentes,
 Contemplare viros Tellus quos Attica, vel quos
 Roma, nec alterutri cedens tulit Anglia, nutrix
 Heroum, dum tempus erat, melioribus annis.

Quid tibi tot memorem divino pectore Vates,
 Totve repertores Legum, Fandive potentes?

Quid,

Quid, per quos venit spectanda scientia; dudum
 Informi cooperta situ, lucemque perosa?
 Ante alios verò Baconus, ut ætherius Sol,
 Effulgens, artes aditum patefecit ad omnes.
 Hic à figuris Sophiam revocavit ineptis
 Primus; quaque regit fida Experientia gressus,
 Securum per iter, Newtono scilicet Idem
 Designatque viam, et præcursor lampada tradit.

Illustres animæ! Si quid mortalia tangunt
 Cœlicolas, si Gentis adhuc cura ulla Britannæ;
 Vos precor, antiquum Vos instaurate vigorem;
 Ut tandem excusso nitamur ad ardua somno,
 Virtutis veræ memores, et laudis avitæ.

Nempe horum egregias reor haud sine numine dotes
 Enasci potuisse; Deum quin tempore in omni
 Conspersisse, velut stellas, hinc inde locorum
 Splendidiora animi quasi quædam lumina; ut istis
 Accensa exemplis se degener efferat ætas,
 Agnoscatque suī quām sit sublimis origo.
 •
 Præterea esse aliquid verè quod pertinet ad nos,

Morte

Morte obita, nemo secum non concipit; intus,
 Monstratum est intus; testatur docta vetustas;
 Publica vox clamat; neque Gens tam barbara quæ non
 Prospiciat trans funus, et ulteriora requirat.

Hinc feritur, tardè crescens, et posthuma merces,
 Quercus, natorum natis quæ prosit: et ingens
 Pyramidum moles stat inexpugnabilis annis.

Hinc cura illa omnis vivendi extendere metas,
 Nomine victuro; tanti est hinc Fama superstes,
 Ingenio ut quisquis præcellit, nulla recuset
 Ille subire pericla, nec ullos ferre labores,
 Si modo venturi speciem sibi vendicet ævi,
 Gloriaque ad seros veniat mansura nepotes.

Nonne videmus uti convictus criminis, ipso
 Limine sub mortis, culpam tamen abneget omnem;
 Mendax, ut sibi constet honos atque integra fama?
 Nempe animis hæc infavit Natura Futuri
 Indicia, obscurasque notas; hinc sollicita est mens,
 De te posteritas quid sentiat; At nihil ad nos
 Postera vox, erimus si nil nisi pulvis et umbra;

Sera

Sera venit, cineres nec tangit Fama quietos.

Quid porrò exequiæ voluere? Quid anxia cura
 Defunctis super, et moles operosa sepulcri?
 Pars etenim Terræ mandant exsangue cadaver,
 Et tumulo ferta imponunt, et sacra quotannis
 Persolvunt; tanquam poscant ea munera Manes:
 Exstructa pars ritè pyra, cremat insuper artus,
 Colligit et cineres, fidaque reponit in urna;
 Ut sic reliquiae durando sæcula vincant.

Quid memorem fluctu quos divite Nilus inundans
 Irrigat? His patrius mos non exurere flamma,
 Non inhumare solo; nudant quin corpora primum
 Visceribus, terguntque; dehinc vim thuris odoram
 Et picis infundunt, lentoque bitumine compleant:
 His demum exactis, vittarum tegmine multo
 Constringunt, pars ut sibi quæque cohæreat aptè;
 Picta superficiem decorat Viventis imago.
 Usque adeò ingenita est spes, et fiducia cuique
 Consignata, fore ut membris jam morte solutis
 Restet adhuc Nostri melior pars; quam neque Fati

C

Vis

Vis perimet, nec edax poterit delere Vetusas.

Aspice quas Ganges interluit Indicus oras:
 Illic Gens Hominum medios se mittit in ignes,
 Impatiens vitæ; vel ad ipsa altaria Divum
 Sponte animam reddit; percussa cupidine cæca
 Migrandi, sedes ubi fata dedere quietas;
 Ver ubi perpetuum, et soles sine nube sereni.

Nec minùs Uxores famâ celebrantur Eoæ:
 Non illæ lacrymis, non foemineo ululatu
 Fata virum plorant; verum, (mirabile dictu!)
 Conscenduntque rogum, flammaque vorantur eadem.
 Nimirum credunt veterum sic posse maritum
 Ire ipsas comites, tandemque novare sub umbris.

Aspice quæ Boreas æternaque frigora spirant,
 Invictas bello Gentes: par omnibus ardor;
 Par lucis contemptus agit per tela, per ignes,
 Indomita virtute feros: hoc concitat œstrum,
 Hos versat stimulus, Ecquid nisi dulcis Imago
 Promissæ in Patriam meritis per saecula Vitæ?

Adde

Adde isthæc quæ de campis narrantur amoënis
Elysii, Stygioque lacu, Phlegethontis et unda.

Fraude Sacerdotum sint hæc conficta ; Quid ad rem ?
Non fraudi locus ullus enim nisi primitùs esset
Insita notities, licet imperfecta, Futuri :
Substratum agnoscunt etenim ficta omnia Verum.

At quia difficile est mentem sine corpore quid sit
Per se concipere, et crasso sejungere sensu,

Corporeas illi tribuit plebecula formas ;

Dat similes vultus, dat membra simillima veris,
Et certis habitare locis dat corporis instar.

Unde Alii, quibus hæc prava et delira videntur,
Nec constet quo more animus post fata supersit,

Extinctum omnino communi funere censem.

Vel quia discendi nequeunt perferre laborem ;

Vel quia turpe putant quidvis nescire fateri.

Namque opus haud tenue est sincerum excernere ficto.

Discute segnitem idcirco, neque respue verum,

Fabellas propter quas interspersit iniquus

Sive dolus, seu vana fuât petulantia Vatûm.

Quid, nonne esse Deum consensus comprobat omnis,
 Consensus, qui Vox Naturæ ritè putatur?
 At quām falsa homines, indignaque Numine fingunt!
 Quippe humana Deo tribuunt, numerumque Deorum
 Multiplicant, juxta ac spes erigit aut metus angit
 Instabiles animos; Quid enim? Quæ profore credunt
 Hæc Divos sibi præsentes, at Numina lœva .
 Quæ metuēre putant; valuitque insania tantūm
 Bestiolas ut deformes pro numine, et ipsum
 Cæpe etiam et porrum, coleret lymphata vetustas.

Hæc igitur reputans Sophia dux Atticus Ille
 Affore prædixit perfecto temporis orbe,

* *Attulit et nobis aliquando optantibus etas
 Auxilium adventumque Dei;* qui, Solis ut ortus,
 Discuteret tenebras animi, et per cæca viarum
 Duceret, ipse regens certo vestigia filo.

Interea multis licuit dignoscere signis.
 Natura monstrante, velut per nubila, Verum.
 Ergo age qua dicit nos conjectura sequamur,
 Nec spernamus opem si quam Ratio ipsa ministrat.

• Virg. Æn. viii. 200..

Haud

Haud equidem inficiar mentem cum corpore multis
 Consentire modis; Lex mutua foederis illa est:
 Ast eadem in multis dispar se disparis esse
 Naturæ probat ac divina stirpe profectam.

Sæpe videmus uti solido stant robore vires
 Corporeæ, cum mens obtusior; invalidoq[ue]
 Corpore inest virtus persæp[er]e acerrima mentis.
 Quinetiam interitu si Corporis intereat mens,
 Consimili pacto par est ægrotet ut ægro
 Corpore, quod fieri contrâ quoque sæpe videmus.
 Namque ubi torpescunt artus jam morte propinqua
 Acrior est acies tum mentis, et entheus ardor;
 Tempore non alio Facundia suavior, atque
 Fatidicæ jam tum Voces morientis ab ore.

Corporeis porrò si constet mens elementis,
 Qui fit ut in somnis, cum clausa foramina sensus,
 Nec species externa manet quæ pabula menti
 Sufficiat, magis illa vigens, tum denique veras.
 Expromat vires, tum sc̄ plaudentibus alis
 Tollat, avi similis, cavea quæ fortè reclusa.

Fertur

Fertur ad alta volans, cœloque exultat aperto.

Jam si corporea est animi Natura, necesse est
 Partibus hæc eadem conflata sit infinitis;
 Ergo et sensus erit cuique, et sua cuique libido
 Particulæ, totidemque animi in diversa trahentes.
 Has inter turbas atque in certamine tanto
 Dic, quo more queat verum consistere et æquum;
 Et vitæ tenor unus, et hæc sibi conscientia virtus.

Materiæ quin fortè situ certaque figura
 Vis animi confit;---- Tanquam quadrata rotundis
 Plus saperent;— partes seu demis an addis, eodem
 Res reddit, ac quali fuerint corpuscula forma, ---
 Tantudem ad mentem est, color ac siet albus an ater.

At quodam ex motu fit Vis quæ cogitat omnis:
 Quid non conficiat motus? Nempe ipsa voluntas,
 Discursus, Ratio, Rerumque Scientia constant
 Vectibus ac trochleis; pueri, credo, actus habent
 Concipit Ingenium, sapit et sub verbere turbo:
 Nec non lege pari, liquor ut calefactus aheno est;
 Eloquii tumet atque exundat divite vena.

Unde

Unde autem exoritur motus? Mens scilicet una,
 Mens, non corpus iners fons est et origo movendi:
 Utque Deus Mundum, sic molem corporis omnem,
 Arbitrio nutuque suo, *mens dirigit intus.

Define quapropter mirari quomodo possit
 Viverc mens omni detracto corpore, miror
 Hoc potius qua vi poterit labefacta perire:
 Utpote quæ nullis consistat partibus, ac non
 Divelli queat externo violabilis ictu:
 Tum porrò ipsa sui motrix est, non aliundè
 Instincta; at quodcumque sua virtute movet se,
 Vivet in æternum, quia se non deseret unquam.

Vérum haud conceptu facile est existere quidvis
 Posse quidem, formam si demperis et posituram.
 Quidnam igitur censes de Numine? Nam neque Formam
 Mens (quà scire licet) recipit divina, nec ullo
 Circumscripta loco est, nisi forte putaveris ipsum
 Materiam esse Deum; sin vero Spiritus Idem,
 Integer et, purusque, et fæce remotus ab omni
 Corporis, humana pariter de mente putandum:

Ecquid

Ecquid enim per se pollet magis, aut magis haustus
Indicat aetherios, genus et divinitus ortum?

Atque adeo dum corporei stant foedera nexus,
Exit saepe foras tamen, effugioque parat sc;
Ac veluti Terrarum hospes, non incola, sursum
Fertur, et ad patrios gestit remeare penates.

I nunc, usuram vita mirare caducam;
Sedulus huc illuc, ut musca, nitentibus alis
Pervolita, rorem deliba, vescere et aura
Paulisper, mox in nihilum redditurus et exspes.
Hæccine vitai summa est? Sic irrita vota?
Huc promissa cadunt? En quanto verius illa,
Illa est vita Hominis, dabitur cum cernere Verum,
Non, ut nunc facimus, sensim, longaque coacti
Ire per ambages meditando, at protinus uno
Intuitu, nebulaque omni jam rebus adempta.

At ne scire quidem poterit mens, forte reponas,
Sensibus extinctis; hoc fonte Scientia manat;
Hoc alitur crescitque; hoc deficiente, peribit.

Quid

Quid verò infirmis cum sensibus, Arte ministra,
Suppeditet vires sua quas Natura negavit?
Arte oculis oculos mens addidit, auribus aures.

Hinc se se **P**hysica Vita supra sortemque situmque
Evehit humanum; nunc Cœlo devocat astra;
Intima nunc Terræ referat penetralia Viætrix;
Quæque oculos fugiunt, tenuissima corpora promit
In lúcem, panditque novi miracula Mundi.

Quid porro errores sensùs cum corrigit, et cum
Formamque et molem mens intervallaque rerum
Judice se, contra sensùs suffragia cernit?
Nonne hæc sejunctam sensu vim signa fatentur,
Semen et ætherium? Quare hac compage soluta,
Credibile est animum, qui nunc præludia tentat,
Excursusque breves, tum demùm posse volatu
Liberiore frui, verumque excurrere in omne.

Si quæras qui fiat, adhuc neque noscere fas est,
Nec refert nostrâ; scisne istam matris in alvo
Vitam qualis erat? Num nôrit amoena colorum
A puero cæcus? Verùm inquis et Hic quoque sentit

D

Effe

Esse aliis sibi quod nato ad meliora negatur.

Mens itidem nihil hic Terrarum quicquid ubique est
 Par votis videt esse suis ; quin omnia fordent
 Præ forma æterni. servat quam pectori **B**ulcri,
 Ingenii cui sit vigor, et sublimia cordi.

Hoc ergo exoptat solum sibi, totus in hoc est :
 Absens, absensis tabescit amore perenni ;
 Congressusque hominum vitans, ut verus Amator,
 Et nemora, et fontes petit, et secreta locorum ;
 Solus ubi secum possit meditarier, atque
 Nunc Sophia, ingentes nunc carmine fallere curas.

Quocirca Ille mihi felix vixisse videtur,
 Qui postquam aspexit Mundi solenne Theatrum
 Äquo animo, Hunc solem, et Terras, mare, nubila
 et ignem ;
 Protinus unde abiit, satur ut conviva, remigrat.
 Nempe hæc, seu centum vivendo conteris annos,
 Seu paucos numeras, eadem redeuntia cernes ;
 Hisque nihil melius, nihil atque recentius unquam :
 Omne adeo in Terris agitur quod tempus, habeto

Ut

Ut commune Forum; peregre vel euntibus amplum
Hospitium, temerè fluitans ubi Vita moratur,
Mille inter nugas jaētata, negotia mille.

Qui prior abscedit, portum prior occupat; Eja!

Collige vela citus, ne fortè viatica defint.

Quid cessas? subeunt morbique et acerba Tuorum
Funera, et insidiis circùm undique septa senectus.

Quò feror? Haud etenim injussu decedere fas est
Illius, hac Mundi qui nos in sede locavit
Spemque metumque inter, Ducis ut vexilla sequamur.
Quicquid erit, Deus ipse jubet ferre; ergò ferendum.

Sin mihi persuasum fixumque in Mente maneret
Nil superesse rogo, vellem migrare repente
Hinc; et abire omnes ubi, seriūs, ociūs, acto
Dramate, in æterna sopiti nocte quiescent.
Immo Deus mihi si dederit renovare Juventam,
Utve iterum in cunis possim vagire; recusem.

Non, si contingent Vitam quæcunque bearint;
Ingenii vis, eloquium, prudentia, mores,
Invidiā sine partus honos, longo ordine nati,

Clari omnes, patriâ pariter Virtute, suâque;
Non tantâ mercede isthac, dignarer eandem
Ire viam toties, et eodem volvier orbe:
Splendidiora quidem mens expetit; illius altis
Nil votis par est mutabile, nil periturum.





D E

ANIMI IMMORTALITATE.

L I B E R S E C U N D U S.

HRGO aliis Deus in rebus quascunque creavit
Argumenta animi dedit haud obscura be-
nigni;

Omnibus, excipias modò nos, licet esse beatis.

Nos, opus in Terris princeps, nos mentis imago
Divinæ, poenis nos exercemur inquis.

Haud ita; --- longè absint isti de numine questus.

Attamen humanam mecum circumspice vitam;
Agnosces, quanta urgeat undique turba Malorum,
Non hunc, aut illum, fert ut Fortuna; sed omne

Pæne

Pænc catervatim genus, ac discrimine nullo.
Millia quot Belli rabies, quot sœva Tyrannis
Corpora dat morti, duris oneratve catenis;
Inque dies, varias cruciandi excogitat artes!
Quid, quos dira famæ, ad viëtum ubi cuncta supersunt,
Absumit miseros, aut quos vis effera morbi
Corripit, aut lento paulatim angore peredit
Insontes? neque enim dignabor dicere, vulgo
Quot Venus aut Vinum pessundedit ac sua culpa.
Quid prosit Virtus? Sanctorum ubi præmia Morum?
Virtuti tribuo quantum licet; ut mala vitæ,
Quæ prohibere nequit, doceat lenire ferendo;
Spe recreet meliore; hominem sibi concilietque;
Irarum et tumidos et Amorum temperet æstus:
Verùm adçò non tutela est, certusque fatelles
Contra omnes casus, sœpe ut (si dicere fas est)
Sœpe etiam et Virtus in aperta pericula mittat.
Expedit esse malis Dominum qui ferre superbum
Coguntur: probitatem omnes odere Tyranni.
Quam multi bene promeriti de civibus, Horum

Quos

Quos conservârunt cæco perière furore!
 Jam verò Ingenio si quis valet, omnis in Illum
 Invida conjurat plebecula; dente parati
 Rodere vipereo, famæque aspergere virus.
 Fac porro ut meritis obstantem dissipet Umbram;
 Muneraque emergens vix demùm publica traçtet:
 Sudandum ingrata est hominum pro Gente, ferendum
 Probrorum genus omne, adeunda pericula, vel quæ
 Seditio attulèrit Vulgi, Ambitiove potentûm.
 Audiat hæc, sibi qui Nomen, qui poscit Honores;
 Demens; nec novit se quanta incommoda cingant.
 Vivitur an melius privatim? Non minus isthic,
 Cernis ut ira, libido, scelus dominantur ubique;
 Fraus et amicitiam simulans; livorque malignus;
 Jurgiaque insidiaque, et iniquæ retia Legis.
 Attamen est, vitæ lenimen, amabilis uxor;
 Lætus agis secura domesticus otia; dulces
 Arrident circùm, properant et ad oscula Nati;
 Mox obrepentis decus et tutela senectæ.

Hic

Hic est aut nusquam quod quærimus ; esto, sed isthæc
 Nullæne interea corrumpunt gaudia curæ ?
 Quid mala commemorem, si quando, ut sæpiùs, ambos
 Discolor Ingenium studia in contraria ducat ?
 Adde quod in trutina mores expendere justa
 Haud facile, ante ferit quam fœdus uterque jugale :
 Nec si pœniteat, fas est abrumpere vinclum ;
 Sors at dura manet ; conjecta est Alea vitæ.

Præterea Natos Ecquis præstabit honesto
 Ingénio imbutos, pulcrique bonique tenaces ?
 Sin hac parte tuis respondent omnia votis ;
 Heu ! minimè cum reris, in ipso flore juventæ,
 Mors inopina Domùs spem protinus abripit omnem.

At non hæc Virtus mala parturit : immo fatemur,
 Munia si peragat sua quisque fideliter, esset
 Nil potius Virtute ; redirent aurea jam tum
 Sæcula ; verùm isto non vivere contigit ævo.

His animadversis, quidam primordia Mundi
 Bina, Deos fingunt binos ; quorum alter iniquo
 Præditus Ingenio, scelus omne immittit in orbem ;

Alter

Alter opem præsens affert, medicina malorum.
 Hinc varius vitæ color, hinc pravique bonique
 Mista seges, roseisque latens malus anguis in hortis.
 Siccine res ergo est confecta? Sed illa potestas,
 Quæsierim, par sit, quam Dis adscribis, an impar:
 Si par illa quidem, ruerent aut cuncta repente
 In Chaos antiquum, nihil aut potuisset oriri;
 Quippe Bonum res est semper contraria Pravo:
 Sin impar, mora nulla foret quin cederet alter
 Alterius vi debellatus, et omnia deinceps
 Deleret victor priscæ vestigia litis.
 Aufer abhinc igitur stulta hæc commenta Magorum,
 Et quæ coenosus fert monstra biformia Nilus.

Stoicus an melius? Nempe Hic non esse Bonorum
 In numero censet, nos quæ miramur inepte:
 Divitias, famam, quodcumque accesserit extra,
 Pro nihilo sapiens habet; aut hæc possidet Unus;
 Possidet, ignotus licet ac pauperrimus; Euge!
 Quàm pulcrum sapere est! simili ratione Dolorem
 Haud putat esse Malum, sibi consentaneus Idem.

Comburas igni; tradas ferrove secandum;
 In cruce suffigas; nunquam extorquebis, ut isthæc
 Esse Mala agnoscat: Quidnam ergo? Incommoda dicit.
 Quid tibi visa Valetudo? Quid gratia formæ,
 Stoice? Quid validæ vires? Sunt hæc Bona, necne?
 Non optanda quidem sunt, at sumenda; Sophistam
 Quis ferat hunc, Verbis non Re diversa docentein?

Quid multa? Externis sine rebus posse beatè
 Vivere te speres, si nil nisi Spiritus essem:
 Interea quinam sis, Stoice, nosse memento;
 Natus Homo es, qui mente itidemque ex corpore constat.

Sin verò, acciderint quæcunque extrinsecus, isthæc
 Dat Fortuna adimitque; benigna, maligna vicissim
 Nunc mihi nunc alii; neque sunt quæ nostra vocemus;
 Quid sapiente illo fiet, qui non minus ac nos
 Momento dubiæ fluitat mutabilis horæ?
 Vim porro hanc Animi, pendent unde omnia quæ Tu.
 Exoptanda putas, quàm sæpe retundere Morbus,
 Sæpe solet delere, ut vix vestigia restent!
 Ille etiam qui Consiliis, Ille Alter et armis

Rem

Rem qui restituit, cum spes haud ulla, Britannam,
 Testantur quantum Virtus, Sapientia quantum
 Posset, et Ingenii quam sit flos ipse caducum.

Tum porro Ille recens, quem postera vidimus ætas,
 Scribendi omne tulit qui punctum, sive facetas
 Mimi ageret partes, seu rhetoris atque poetæ;
 Eheu! Quantus erat! Nec longum tempus, et Idem
 Defuncta spirans jam mente, suique superstes:
 Usque adeò externis nihil inviolabile telis.

Condonanda tamen sententia, Stoice, vestra est:
 Nam si post obitum neque præmia sint neque poenæ,
 Heu! quò perventum est! Heu quid jam denique restat!
 Scilicet humanas gerit aut res Numen iniquè,
 Aut nil curat, iners; aut, si bene temperat orbem,
 Nemo bonus miser est, nemo improbus esse beatus
 In vita possit, Gens ut sibi Stoica fingit.

O cæcas hominum mentes! confinia veri
 Qui simul attigerint, hærent; finemque sub ipsum,
 Attonitis similes, opera imperfecta relinquunt.
 Justitiamne Dei Te, Stoice, posse fateri,

Cernere nec quid ritè velit! Quin strenuus audes
 Pergere ad æternam, ducit quà semita, vitam?
 "Quicquid id est, celat nox, circumfusa tenebris."
 Non isthoc, tua Te potius fiducia cæcat;
 Hinc nox, hinc illæ tenebræ; quia nempe triumphas,
 Nondum propositi vîctor; quia ponere Totum
 Nescius, in spatiî medio consistis; ut omnes
 Sive magi Persæ, seu Græculæ turba Sophorum.
 En quantis unus portentis pullulat Error!

Accipe rem quò nunc deducam. Quisque fatemur
 Esse Deum; Jam si sapiens, justusque sit Author,
 Hunc Mundi ornatum qui protulit atque gubernat;
 Quodcunque est fit ritè; canit prout Ille Poeta;
 Nec patitur Jus Fafve, Bonis ut sit male semper,
 Improbitas aut semper ovans incedat; at isthuc
 Res redit, omnino si morte extinguimur omnes.
 Quodcunque est fit ritè, velis si cernere Summam;
 Contra, si nostri nihil ultra funera vivit.
 Vir bonus et sapiens vitam connectet utramque.
 At sunt, hærentes verborum in cortice nudo,

Singula

Singula qui, non Rerum ingens Systema tuentur,
 Atque hodierna omnem cogunt in tempora scenam.
 Advolat huc Furum turba omnis, et omnis Adulter;
 Hanc sibi perfugium petit ipse Sicarius aram.

Scilicet ipse rato statuit Deus ordine Leges,
 Quas temerare potest nemo; probus improbus an sit
 Quid refert? nihil hic rescindere Homuncio possit,
 Nil mutare; suum servant res usque tenorem.

Dic mihi quas leges narras, quive iste sit ordo?
 Altera namque Homini est, animalibus altera Brutis;
 Altera lex rerum Massæ rationis egenti.

Est sua materia Gravitas; hinc, non propria vi
 Attrahit, attrahitur; varios hinc incita motus
 Conficit, hinc stat compages et machina Mundi.

Quid dicam quibus est vita spirabile donum,
 Alituum genus an pecudes; An sœva ferarum
 Semina; foecundo vel quæ fovet ubere pontus?
 Non horum temere quivis sine lege vagatur;
 Quin, sive afflatu divinæ contigit aufæ,
 Seu rationis habent quantum desiderat usus,

His

His aliqua prodire tenus datur; En sibi solers
 Quisque parat victum; sua tractat gnaviter arma;
 Atque edit fœtus, atque esca nutrit amica
 Quos peperit, prodest teneris dum cura parentum.
 Hic labor, hæc vitæ est omnis dulcedo; nec ultra
 Aut cupid aut metuit, satis hoc in munere felix.

Latior ast homini campus patet; Ille, sagaci
 Ingenio, Artificis dignoscit signa supremi,
 Immensum per opus, tot miris fertile, mundum.
 Talibus indiciis, rerum dominumque patremque
 Ille in vota vocat; Pulcrique imbutus amore
 Exemplar sibi divinum proponit, ut inde
 Possit et ipse suos imitando effingere mores.
 Pulcrius utque nihil, nihil ut divinius est quam
 Prospiciens aliis Bonitas, diffusaque latè;
 Ille aliena, sibi putat haud aliena; nec axem
 Vertitur usque suum circa, sibi providus uni;
 At Patriam, at genus omne hominum, genus omne ani-
 mantum,
 Ingenti, se diffundens, complectitur Orbe.

Hæc

Hæc stabilivit item Natura perennia vitæ
 Jura, hominem per se se inopem cum finxit; ut alter
 Alterius deposcat opem, et sua quisque vicissim.
 Consilia in medium promat, sermone ministro.
 Confer cum reliquis etenim viventibus; Ecquid
 Est hominis forma magis ad tutamen inerme?
 Quanta sed huic Virtus et inexpugnabile robur;
 Si communis Amor, Gravitas velut, alligat uno
 Fœdere, consociatque inter se dissita membra?

Lex igitur, lex hæc animis insculpta, benigno
 Hæc nutu sancta Dei est; hanc comprobat ipsa
 Utilitas; huc quemque trahit nativa Voluptas.

Quorsum abeunt tamen ista? Videsne effræna libido,
 Vel mala consuetudo, vel ipsa inscitia, quantas
 Dent latè strages, hominum pars quantula felix!
 Contemplator enim, quæ sol oriturve, caditve;
 Aut loca quæ Boreas, aut quæ tenet ultimus Auster;
 Perpetuove jacet tellus ubi torrida ab igni:
 Quanta ibi pauperies et inertia! quanta ferinis
 Offusa est animis caligo, insanus et error!

Vix

Vix hominis, præter formam, vestigia cernas.

Quid Nos, uberiora Deus quibus ipse Salutis
 Lumina dat, dicitque manu, sanctissima custos,
 Relligio; dicit, non vi trahit imperiosa?
 Ecce renitentes jubar immortale diemque
 Odimus oblatam, commentaque vana tenemus;
 Vana Sophistarum Glossemata, luce relicta.
 His pro quisquiliis heu! digladiamur, ut aris,
 Impacabiliter: quot cædes inde, cruxque
 Fraternus! Pietas quot parturit impia facta!

Usque adeo morum vitiosa licentia miscet
 Fas omne atque nefas, grassata impunè per orbem.
 Illa Gigantea est vis, quæ rescindere cœlum
 Conatur, montesque imponere montibus audax.
 Aspicit hæc, Deus an nequicquam fulmina librat?
 Pectora an Humani nihil immortalia tangit?
 Aspicit; improperata licet, sua quemque sequentur
 Præmia pro meritis; neque poena incerta morando est.
 Haud equidem humanis dubito quin nunc quoq; rebus
 Ipse interveniat Deus, et (nè funditus omnis

Notitia

Notitia intereat divini Vindicis) edat
 Per Gentes exempla modis insignia miris.
 Parciūs ista tamen; non, ut temeraria fingit
 Usque supersticio, torquet quæ Numinis iram
 In quounque velit, suaque eripit arma Tonanti.

Nec sum animi ignarus quid mens sibi conscientia possit;
 Ut neque sit Virtus jam nunc mercede sine ulla,
 Nec nullas dum vita manet des Improbe poenas;
 Quanquam Homines fallas haud Tetamen effugis Ipse:
 Te Diræ ultrices agitant, tē Cura remordet
 Sæva comes, memorique habitat sub pectore Vindex.

Quid tibi saepe graves cum morbi, debita luxus
 Dona, Pthises lentæ, tormenta et acuta Podagræ;
 Atque tumens Hydrops, spasmusque, urensq; Marasmus
 Incubuere, cohors funesta? hinc degitur ævi
 Portio si qua manet crudeli exesa dolore;
 Et quorum in Vita posita est spes unica, tædet
 Vivendi, mortemque simul cupiuntque timentque.

Sin Horum ad seros aliquis pervenerit annos,
 Non habet unde isthoc compenset; nam neque dulces

F

Carpit,

Carpit amicitia fructus, neque laude Bonorum
 Pascitur, atque sua, quoties anteacta revolvit;
 At socii jam tum luxus fugere prioris,
 Vilis adulator vacuas quoque deserit ædes;
 Atque illum, si quando oculos converterit intus,
 Terret imago sui, fese et dum respicit horret.
 Ille etiam cum Mors adstat, telumque coruscat
 Jam jamque intentans iustum, quas non adit artes
 Anxius, ut miserum medica vi proroget ævum
 Paulisper, mille et per curas vita trahatur?
 Quòd si vita referta malis, Nostrique superstes
 Post Mortem nihil est, cur ultima territat hora?
 Sic est, hæret adhuc quam spernere velle videtur,
 Nescio quæ fortis cura importuna futuræ.

At contra, quibus innocua et sine crimine Vita est,
 Quique alios norunt sibi devincire merendo,
 Aut qui præclaris ditarunt sæcla repertis,—
 Illis nectareo manans de fonte serenat
 Conscia laus animum, tranquillaque temperat ora.
 Non metus abrumpit somnos, non invida cura;

Non

Non Venus aut Bacchus vires minuere; neque illos
 Res aut adversæ frangunt inflantve secundæ:
 Cui spes ulterior, casus munitur ad omnes. —
 Ergo senectutem labentes leniter anni
 Cum sensim attulerint, mortem ista mente propinquam
 Aspicit, ut longis qui tempestatibus ætus
 Portum in conspectu tenet, effugiumque Malorum.
 Scilicet hunc unum Mortis vicinia terret,
 Qui sibi præmetuit si quid post funera restet;
 Non hunc qui recte vitam sancteque peregit.
 Hic, sese excutiens sibi plaudit, et aureus ut Sol
 Usque sub occasum diffuso lumine ridet:
 Hic, matura dies venit cum Mortis, ad ævum
 Suspicit immortale, Hic spe meliore triumphans
 Coelicolum jam nunc prælibat gaudia votis.
 Talis erat grata semper quem mente recordor
 Ille, decus Mitræ, Libertatisque satelles,
 Dum tanti Tempus propugnatoris egebat
 Houghius; Hic, numeros propè centenarius omnes
 Cum Vitæ explerat, florenti plenus honore,

Sensibus integris, sine morbo, expersque doloris,
 Vivendique satur, sic vita exibat, ut Actor
 E scena egregius toto plaudente Theatro;
 Aut qui post stadium summa cum laude peractum
 Victor Olympiacæ poscit sibi præmia palmæ.

His patet indiciis animi vis conscia quantum
 Spe foveat, crucietve metu mortalia corda.
 Unde sed iste metus, quid spes velit illa rogarim,
 Si nil sperandum est, obita nil morte timendum?
 En ut venturo conspirent omnia sæculo!

Quocircà in Terris bene seu res seu male cedat,
 Vir sapiens nec amat Vitam neque tetricus odit:
 Intus enim quo se duro in discrimine Rerum
 Consoletur, habet; si aura faventior afflet;
 Immemor haud vivit quam lubrica, quamque caduca
 Fortunæ Bona sint; Bona si quis censet habenda,
 Perdere quæ metuit, quæve aspernatur adeptus.

Nec vereare quidem nè fortè ad munia vitæ
 Segnior hinc animus detrectet ferre labores,
 Atque pericla subire, vocet si publicus usus:

Liberum

Liberum et erectum potius, rebusque in agendis
 Fortem Hominem invictumq; facit, casusq; per omnes
 Roborat externarum hæc despicientia rerum.

Hunc tamen incusas, ut quem, spes unica mercis
 Non verae Virtutis amor, non sensus Honesti
 Servat in officio; Nempe huic est sordida virtus
 Qui rectè facit ut post mortem præmia carpat.
 Ille Bonus verè est, quem, spes si nulla Futuri,
 Ad Pulcrum atque Decens per se super omnia ducit
 Morum dulce melos, & agendi semita simplex.
 Esto; nec Ille malus qui non hic hæret, at illam
 Quò Natura trahit metam scit ritè tueri;
 Semper et innatis ultra mortalia votis
 Fertur ovans, Pulcrumque petit sine fine supremum.
 Ergo age dic fodes quæ præmia, quid sibi sperat
 Mercedis? Namque haud sectatur vilia rerum.
 Illum, non Usura vorax, non Turba sequentum,
 Non mendax plausus, fucataque gloria; non quæ,
 Prava per incautum spargit mendacia Vulgus
 Ambitio tenet, aut Titulorum splendor inanis:

At

At quò verus Honos, quò fert Natura, Decusque
 Humani generis jubet ire, viriliter ibit:
 Virtutesque alias aliis Virtutibus addens,
 Donec in hac Vitæ seſe exercere palæstra
 Cogitur, Ingenium fata ad meliora parabit.

Cætera pars Hominum ferimur jactante procella
 Ut ratis, huc illuc; et per diversa viarum
 Conatu ingenti fugientem prendimus umbram.
 Ac veluti infantes pueri crepitacula poscunt
 Ardenti studio; mox, parta relinquere gaudent;
 Sic etiam in plenis Homines puerascimus annis.
 At bene persuasum cui sit, non esse supremam
 Hanc Animi vitam, restare sed altera fata,
 Salva Illi res est, neque spe lactatur inani.
 Quippe ubi mens Hominis purum simplexque requirat
 Irrequieta Bonum, non sperat forte potiri
 Jam nunc felici: Quid enim? nunc, vivimus omnes
 Pravum ubi commistum recto est; ubi tristia latiss;
 Ipsa ubi delirans inhiat sapientia nugas;
 Atque in odoratis florent aconita roſctis:

Omnia

Omnia mista quidem, fluxa omnia, iudicra demum
 Omnia, nec votis est quod respondeat usquam.
 Forsan et ipse Deus, (divinum exquirere si fas
 Consilium,) sic res attemperat, usque secundis
 Adversas miscens, et amaris dulcia condit;
 Spernere ut hinc discat Terrestria Mens, et amicis
 Castigata malis, cœlo spem ponat in uno,
 Est ubi certa Domus, requies ubi sola laborum.
 Quare age, jam tandem memorata recollige mecum.
 Quippe viam emensus dubiam, scopulosque latentes
 Erroris nunc prætervectus et æquora cæca
 Conspicio portum. Nempe hæc quæ cogitat et vult,
 Mens, haud terrenis conflata est ex elementis;
 Ergo Naturâ est quiddam immortale suapte.
 Verùm hanc interea Deus hanc extinguere possit:
 Esto, Deus possit si fert divina voluntas;
 At non extinguet: neque enim vis illa sciendi
 Tot res humana tam longe sorte remotas;
 Nec porro Æterni nunquam satiata cupido;
 Nec desiderium nostris in mentibus hærens

Perfecti,

Perfæcti, frustra est. Jam si fas Jusque requirunt
 Ut sceleri male sit, bene Virtutique, nec illa
 Alterutri fors obtingat, dum vivitur istic;
 Restat ut hoc alio fiat discrimen in ævo.

Tum vero quæ nunc rudis, et sapiente Bonoque
 (Si genus humanum spectes) haud Numine digna est
 Scena, revelabit dempta se nube, colorque
 Verus erit rebus, verusque videbitur Ordo.
 Hoc nisi credideris, dic, qua ratione probetur
 Omnino esse Deum summo qui consilio Res
 Harmoniaque regit; Num cætera scilicet aptè
 Dirigit, hac quæ præcipua est in parte laborat?
 Haud ita; Tempus erit, (noli quo querere more)
 Hoc satis est, hoc constat, erit post funera Tempus;
 Cum Deus, ut par est, æquos excernet Inquis,
 Sontibus Infantes, et idonea cuique rependet.

F I N I S.



A011465085